

**De gastrite : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Ludovicus Herbers.**

**Contributors**

Herbers, Ludwig.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Fratrum Unger, 1831.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tpq xv56g>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# DE GASTRITIDE.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIX. M. NOVBR. A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

**LUDOVICUS HERBERS,**

GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS:

**L. MARX**, DD. MED. ET CHIR.


**F. HILBCK**, CAND. MED. ET CHIR.

**M. TYRELL**, CAND. MED. ET CHIR.

---

BEROLINI.

TYPIS FRATRUM UNGER.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

# F. H E R B E R S,

PATRI OPTIMO ATQUE DILECTISSIMO AD CINERES  
USQUE COLENDO.

HAS

S T U D I O R U M P R I M I T I A S  
SACRAS ESSE VOLUI

AUCTOR.

## P R A E F A T I O.

Imposito mihi dissertationem scribendi officio, ut summos in medicina et chirurgia acquiram honores, diu cum haesitassem, ex pathologia et therapia morbum describendum mihi elegi, quem ipsi mihi videre et tractare, dum Krukenbergii illustrissimi illius scholas praestantes clinicas Halae frequentassem, saepius contigerat, gastritidem. Perlectis auctorum de hoc morbo sententiis, quorum opera mihi erant in promptu, quaeque inveni notatu digna collegi, iisque nonnulla adjeci, quae ex morbi intuitu didiceram. Quae omnia, ut in tirone exiguis scientiis pollente, nec tam crebra ut necesse est experientia armato solummodo exigua esse possunt. Nihil tamen dixi, studio commotus novi aliquid afferendi, sed quaeque sum effatus, ita mibi habui persuasa, ut aliter nec sentire, nec dicere

potuerim. Accipias igitur opusculum meum Tu, pater optime, cuius nomen libelli fronti impositum, tanquam merae pietatis signum; accipe L. B. tecumque reputa, tironem libellum conscripsisse, qui juvenili animo hoc vel illud dicere potuerit, quae aetate provectioni, cum aucta accesserit experientia et penitior rerum cognitio, se scripsisse libenter deprecaretur.

## C A P U T I.

### DIAGNOSIS.

#### §. 1.

**G**astritis inflammatio etiam ventriculi, cardialgia inflammatoria, phlegmone ventriculi, febris stomachica inflammatoria appellatur.

Quae veram adesse ventriculi inflammationem symptomata indicant, sequentia exhibentur. Dolores summa violentia concepti ventriculi regionem urendi vel pungendi sensu afficiunt; majori deinde gradu aut minori aegrotum excruciantes, praecipue de columna vertebrali et lateribus ad regionem epigastricam diffunduntur, cibo vel levissimo in corpus suscepto, simul atque in stomachum pervenerit, spiritu ducendo et abdomen pressione quadam affecto, quod lecti imo efficitur tegumento, corpore denique ructu, sternutatione, tussi, positus mutatione commoto ita augentur, quos aegrotus vix amplius tollere possit.

Ventriculi crescit irritabilitas; neque nausea, ructus, vomitus dolore conjunctus deficit, neque angores urendi sensu aegrotum distrahentes desiderantur, quae omnia nutrimentis blandissimis imo accidere solent susceptis. Cibi deinde in stomachum demissi aut soli aut cum bile, colore viridi, conjuncti vomitu ejiciuntur.

Inflammatio vero inde initium capere solet, quod frigoris sensu majoris aegrotus afficitur, cui calor succedit violentior praecipue in corporis partibus internis. Quodsi ventriculi inflammatio genuina exstiterit, febrem acutam prodire observamus.

Abdomen usque regionem umbilicalem tensum esse et calidum conspicitur, dum aegrotum admodum vehementer siti vexatum atque scrobiculi cordis angustiis oppressum quam maxime inquietum jacere videmus.

Morbo deinde aucto qua ratione vomitus increverit, alvi dejectio minuitur ac denique cessat. Febris si initio defecerit, accedit, si vero exstiterit, violentior procedit. Quod intestinis omnibus fieri solet inflammatis pulsus exiguus, celer, inaequalis, saepius intermittitur, interdum vero major fit ac durior. Inflammatione semper increscente insomnia et aegroti conditio accedit maxime inquieta; siti vehementissima os siccitate laborat haud exigua. Aegroti urinam haud multam emittunt, spiritum breviter et celerrime ducunt, potusqne demissione spasmus sustinente, hydrophobia afficiuntur.

Ventriculi regione ad summum gradum dolores evehuntur, quibus sensus oritur singularis, unde scapulae detrahi videantur. In praecordiis dolorifica pulsatio vexat aegrotum. Simul turgor vitalis, quum e facie evanescat, lineamenta patefacit hippocratica. Singultum inter dolorificum extremitates refrigerantur, viribusque omnino decrescentibus talis organismi exsistit imbecillitas, quam in ceteris inflammationibus raro observamus. Cutis lividitatem exhibet, os male olet, deliria, spasmi,

animi deliquia oculique concidentes animadver-tuntur.

Quo si inflammatio pervenerit lethalem morbi exitum in gangraenam plerumque adesse conspi-cimus. In regione epigastrica omnes tunc subito remittuntur dolores et abdomen admodum intu-mescit, dum aegrotus mentem sanam sibi semper servat. Corpus si tangas, frigiditate obductum est, ac sudore tegitur lento et tenaci.

Mors denique supervenit inter animi deliquia corporisque convulsiones.

Signa autem inflammationi propria, rubor, tu-mor, lymphae plasticae extravasata atque exitus ga-stritidis: suppuratio, induratio et gangraena oculis nostris aegroto adhuc superstite subducuntur. Ca-daveris vero sectione instituta vasa majori aut mi-nori sanguinis copia abundasse apparuit. Materiam quoque fibrinam aut ventriculi ipsius substantiam intrasse aut superficiem ejus diffusam esse conspi-citur, unde plerumque pseudomembranae forman-tur. Quum vasa sanguifera nimis sint repleta atque exsudata etiam exstiterint, ventriculi cavum nimis angustum evadere atque ejus membranae intu-mescentiam pree se ferre videntur.

### §. 2.

Neque tamen inflammatio tam pura semper ex-sistit, sed interdum etiam variatur.

1) Partes affectae discrimin exhibent:

Membrana praecipue ventriculi serosa morbo corripitur, unde tanta dolores augentur vehementia, ut pressuram lecti tegumento effectam aegroti vix tolerare possint. Symptomata simul peritonitis

patefiunt extensa, neque vehementissimus exsistit vomitus. Quae gastritis tunc quidem orrhymenitis appellatur.

Si membranam inflammatio mucosam infestaverit, cui morbo gastritidis erysipelaceae nomen tribuerunt, symptomata non oriuntur tam manifesta. Irritabilitas quaedam atque abdominis extensio vomitusque, unde mucus vulgo ejicitur, interdum solummodo adesse conspicitur. Rubore linguam infici, aut puncta tantum ibi provenire rubigine tincta, majoris momenti signum est.

Cadavere secto telam inflammatione correptam esse cellulosam patefactum est, cujus vero certa diagnosis adhuc desideratur. Hanc inflammationem phlegmonosam sunt qui nuncupent, alii vero totius ventriculi membranarum inflammationem hoc nomine designant. Symptomata esse vehementissima, late extensa, linguam rubram atque vomitum inanem dicunt.

De membranae inflammatione muscularis res in obscuro adhuc est posita, vomitum vero ac singulum prae caeteris maxime valere dicunt.

Cadaveris inspectio glandularum quoque inflammationem exhibuit, cujus vero qui certam diagnosis proferre studuerunt labor frustraneus evasit usque ad nostrum tempus.

Qua membrana ventriculi mucosa corripitur, plurimum occurrit inflammatio, et quum cum aliis ventriculi morbis spasmodicis facilis commutatu fieri possit, quod sumnum aegroto afferre potest detrimentum, digna est, in quam accuratius inquiratur. Haec etiam ipsa forma, cur de ventriculi inflamma-

tione libellum componerem, occasionem mihi suppeditavit, cum in Halense clinico saepius morbum et tristem ejus eventum observassem.

Acutam haec inflammatio naturam rarius exhibet, sed chronicam plerumque indolem patefacit atque hac in forma vulgo statim prodit. Symptomatibus vero haud clare et perspicue in oculos incidentibus saepius fit ut nequaquam agnoscatur. Pressione affici in stomacho aegroti conqueruntur, praecipue postquam cibos sumserunt firmiores, quod etiam si factum est dolores mox existunt. Quarta vel dimidia horae parte post cibos receptos praeterlapsa, sensatio illa dolorifica locum vulgo obtinet. Dolorum vero decursus propriae ac singularis est naturae, cum in tergo, praecipue ad columnam vertebralem originem cepisse videantur, ad ventriculum descendunt, et maxime saevire mox incipiunt. Una cum hac pressione nausea prodit vomitusque, quo cibi modo atque potus, mucus modo aquosus ejicitur. Aquae candidae magna copia in os aegroti uno tenore confluit. Vomitu facto aegrotus multum sublevatur. Dolores cibis conceptis semper semperque revertuntur atque hominem maxime affligunt, unde sudor totum per corpus et quidem frigidus erumpit et antequam omnia ejecta sint, quae suscep- perint, saeviendo non desistunt. Lingua atque oris cavum rubigine inficitur, papillis linguae multum eminentibus, superficies vero terra calcaria videtur esse oblita. Si regionem tangas epigastricam, et hic praecipue pylori regionem, magnam adesse observabis sensibilitatem. Saepissime sentimus in hoc loco praeclaram pulsationem, quae epigastrica no-

minatur, et originem dicit de aucta vasorum acti-  
vitate. Febris ab initio non exsistere solet, sed  
adesse dedolatio totius corporis ac membra tanquam  
fracta sentiuntur. Obstructio alvi fere semper ad-  
est. Haec chronica ventriculi inflammatio quasdam  
tantummodo hebdomades durare solet; dolores et  
molestiae primum remittuntur ac denique omnino  
cessant, ita ut aegroti optima frui videantur valetu-  
dine. Recidiva, quae vivendi ratione bona atque  
recta evitantur, rarius primo post annos quosdam  
aut anni spatium incidunt. Vehementissime aegroti  
tunc quidem affecti semper febricula quodammodo  
laborant.

Si interstitia interdum adsint, regio epigastrica  
irritabilitatem quandam retinet. Nisi aegroti diae-  
tam optimam atque exquisitam obseruent stomachi  
pressione semper laborant.

Saliva in ore perpetuo confluit, alvusque gra-  
viter obstruitur. Homines admodum irritabiles sunt,  
ad iram inclinantur et quotidie marcere in om-  
nium oculos incidit. Vomitus cibo vel blandissimo  
suscepto matutino imo tempore cum homo jejonus  
sit, semper revertitur.

Si chronica inflammatio ad summum gradum  
evecta est, atque si degenerationes exsistere incep-  
runt, materies in ejectis animadvertisit, quae ex  
nigro grisea, sedimenti coffeae similitudinem ha-  
bet. Haec materia ventriculi membranis secernitur  
et nominatur melanosis. Ventriculi degeneratio-  
nes, quae chronicis inflammationibus primo oriun-  
tur ac deinde maxime foventur, primum quidem  
membranae mucosae inhaerent, deinde vero per to-  
tius ventriculi membranas diffunduntur.

Quod ad hujus degenerationis situm pertinet, difficilius distinguitur.

a) Si in cardia, quod rarius accidere solet, sedem occupat, chronicæ gastritidis omnia symptoma aegroti patefaciunt; sentiunt in scrobiculo cordis dolores, et quos cibos deglutiunt pectori inhaerescere iis videntur. Si vero in regione cardiaca multum increscit induratio, et cum oesophagi lumen in inferiori parte magis angustum extiterit, cibi etiam aegre demittuntur.

Cum enim ibi accumulentur cibi, oesophagum extendunt, eoque angoribus pectus affligunt, impedimentaque, quin spiritus bene ducatur, constituunt, atque efficiunt dolores in spinae dorsalis regione. Haec mala, antequam cibi ejecti sint, non remittuntur neque desinunt. Liquida facilius sed cum strepitu demittuntur. Specillum ad oesophagum explorandum, si usque ad cardiam descenderit, in impedimenta incidat, necesse est. Aegroti celeriter marcent, debilitate laborant animique tristitia. Si hominum, qui huic morbo occubuerunt, cadavera dissecantur, cardiam modo apparent induratam esse atque angustiorem, modo vero in exulcerationem transiisse <sup>1)</sup>.

b) Si chronica inflammatio atque induratio in ventriculi fundo sedem occupat; quod in iis hominibus praecipue animadvertisit, qui cibos immode dicere consumere consueti sunt, aegroti mucum vomitu ejiciunt.

---

<sup>1)</sup> Halleri dissert. patholog. T. III. p. 31. Portal pathologische Anatomie. 5r Bd. S. 204.

c) In pylori regione morbus vulgo animadver-  
titur. Gastritidis chronicæ tunc quidem omnia ob-  
servantur symptomata, et primis praecipue post coe-  
nam horis patefiunt. Omnia quae suscepint aegroti  
rursus ejiciunt, si cum degeneratione major etiam  
pylori extiterit angustia. Pyloro autem affecto,  
interdum accedit ut aegrotus haudquaquam vo-  
mat, et fieri soleat, si regio pylorica quidem dege-  
nerata neque vero angustior redditæ est.

Ructus deinde male olet, spiritus vix ferendus,  
quod cibis proficiscitur nimis longum tempus in ven-  
triculo morantibus. Si induratio in exulcerationem  
transierit odor praecipue existit fortissimus, qui  
etiam observatus est, si sacci forma cetera pars ven-  
triculi extendatur; unde cibos ibi accumulatos in  
corruptionem transire necesse est. Praeterea dege-  
nerati pylori regio facillime doloribus afficitur al-  
vusque segnes ejectiones exhibet. Si chronica in-  
flammatio et degeneratio multum processerit mate-  
ries illa antea descripta in evomitis est spectanda.  
Quoniam aegroti macie collapsi sunt, tactu etiam  
pylori induratio est percipienda. Hecticae febris  
omnia accedunt symptomata: insomnia, macies ex-  
sistunt, cutis sicca atque pedes oedematosi, capilli  
decidunt; livido facies obducitur pallore, tristitia  
et majori animus afficitur morositate. Mors vero  
quieta angoribus plerumque caret.

d) Singulos interdum tantummodo locos in magna  
atque parva ventriculi curvatura degeneratos esse  
apparet; quodsi acciderit hic etiam chronicæ edun-  
tur inflammationis symptomata.

Phaenomena interdum omnia, praecipue vero

vomitus quasdam mutationes subeunt. Omnino interdum deficit aut postea evanescit quamvis malum summopere augeatur. Ita vulgo accidit, si omnes ventriculi membranae corii instar crassiores evaserunt unde motus prodere nequeat necessarios. Sententia illa Magendie, ex qua ventriculum in vomitu contrahi necesse non sit, inde confutatur. Si sacci etiam specie membranae extensae sint vomitus desideratur. In abdominis interiore parte doloribus distrahi aegroti tunc conqueruntur, qui inter vesicam interdum urinariam intestinumque rectum incipientur. Quod jam supra commemoravimus, vomitus etiam desideratur si malum in pyloro sedem occupat, neque vero angustiorem illum efficit; si ventriculus denique degeneratus lymphae exsudatione plasticae vicinis partibus concreverit, deesse observamus.

Quarum diagnosin modo exposuimus degenerationum, hypertrophiam modo videmus telae cellulosa, quae membranam mucosam cum serosa conjungit, atque in crassum corpus, candidum, adipisimile mutatur, cui pseudoplasmata intexta sunt fibrosa; unde ventriculi membranae crassiores evadunt cartilaginisque cohaerentiam patefaciunt. Modo membranae interdum mucosae excrescentiae nascuntur fungosae, vel ventriculi locus affectus in massam degenerat, modo polypi, modo fungi medullaris similitudinem prae se ferentem. Rarissime totus ventriculus degeneratione illa afficitur; telam interdum cellulosam hypertrophicam fieri observatur, atque adiposam. Quae omnes degenerationes serius ociusve in exulcerationem transeunt; inde mortem fere semper mox invitari supra demonstravimus.

**2) Ex inflammationis extensione discrimen constituitur.** Inflammatio, aut in pyloro aut in cardia, aut majori aut minori, aut in anteriori aut posteriori ventriculi superficie sedem suam occupat atque diffunditur. Si chronica est, in pyloro vulgo animadvertisit.

**3) Quod ad modum pertinet quo aut facilius aut difficilius inflammatio agnoscatur inter manifestam et occultam differentias proponunt.** Quae cadavera dissecta Valsalva et Morgagni <sup>1)</sup>, de Haen <sup>2)</sup>, Stoll <sup>3)</sup>, Mohrenheim <sup>4)</sup>, aliique descripserunt, sine ullo vomitu, dolore etc., inflammationes vel maximas exstisset demonstrant. Quem Stoll aegrotum curaverat, ab initio multo vomitu affectus est. Santesson <sup>5)</sup> se in feminae peripneumonia intereuntis tertio jam die cadavere, cum ventriculum inspexisset, majus foramen, gangraenam et inflammationem observasse narrat, neque tamen aegrota de ventriculi doloribus conquesa est. Michaelis <sup>6)</sup> inflammationes memoravit, ubi tartaro emetico vehementissimus vomitus excitatus esset, nullus tamen dolor est conceptus. Vide etiam Hufeland annal. II. Bd. S. 30.

Chronica praecipue inflammatio occulta est, ubi malum pro cardialgia saepius libentiusque nostris temporibus habetur. Sunt etiam casus acuti, qui

<sup>1)</sup> Epistol. 49. §. 14.

<sup>2)</sup> Rat. med. IX. pag. 63.

<sup>3)</sup> Rat. med. III. pag. 384.

<sup>4)</sup> Wiener Beiträge 2. Bd. S. 235.

<sup>5)</sup> Schwed. Abhandl. 11r Bd.

<sup>6)</sup> Bibl. 1r Bd. 3s St. S. 274.

haud manifesti observati sunt. Quae sequuntur symptomata tunc tantum in oculos incident: febris exigua, dolor in ventriculo descendens interdum et adscendens; appetitus absentia, oris rubigo, illa albescens lingua; si ad intestini inferiorem partem inflammatio descendit, dolores colici, diarrhoea aut obstructio exsistit.

Summi momenti est ea gastritidis forma decursu saepius serpente, quam cum medici non semper bene discernant, cum aliis morbis haud raro commutant. Haec inflammatio infantes praecipue infestat. Hac de re scripserunt: Jäger <sup>1)</sup> et Cruveilhier <sup>2)</sup>. Si ad lucem provenerint usque ad illud tempus, quo tres aut quatuor annos nati sunt, infantes morbo sunt obnoxii; praecipue vero accidere solet, si mater lac praebere recusaverit sive nutrimenta porrexit solidiora, sive subito non amplius lactaverit. Si infantes deinde hydrocephalo acuto afficiuntur, sive pneumoniam superaverunt, sive dentitione laborant, huic morbo sunt expositi. Cruveilhier epidemiicum hunc morbum observavit, cum febres intermitentes et diarrhoea aestatis exitu valde communes essent; Pommer coelo multum variabili conspexit. Symptomata hujus morbi, qui gastromalacia appellatur, sequentia sunt:

Diarrhoea viridis mucosa, albis floccis intermixta, aut obstructio perfecta, quae vero rarius exsistit. Abdomen, ventriculi in regione intumescit,

<sup>1)</sup> Hufeland Journ. Bd. 32. St. 5. S. 8.

<sup>2)</sup> Ueber die gallertartige Erweichung des Magens und der Gedärme, a. d. Franz. m. Anmerk. von C. Vogel; vide etiam auserlesene Abhandlung für praktische Aerzte. 30r Bd. S. 187.

doloribus vero caret; vomitus modo semel interdum aut bis incidit, modo durat, modo deficit, modo doloribus caret. Infantes semper, morbo imo incipiente, maxime sunt inquieti, interdum etiam tussi pectorisque spiritu ducendo angoribus afficiuntur. Facies pallida, oculi conciderunt; clamor primo clarus, lenis fit ejulatus; infantes ad abdomen pedes tollunt, celeriter marcent, in comam incident. Febris increscit, pulsus duriusculus et frequens, nunquam tardus, caput calidum, sitis permagna, quae saepius omnino non sedari possit. Appetitus deficit, coma increscit, in tergo denique infantes positi sunt et moriuntur. Acuta morbi species trium di-  
erum spatio morte finitur; chronica vero tribus aut quatuor hebdomadibus cessat.

Magni res est momenti, ut haec gastromalacia ab hydrocephalo acuto bene distinguiatur, cum signorum praecipue exsistere soleat numerus haud exiguus, quae utrique morbo sunt propria: febris quidem, vomitus, coma, jactatio. In gastromalacia minor comae gradus invenitur, facies et membra refrigerantur, abdomen intumescit (quod symptomata est gravioris momenti). Semper fere diarrhoea continua, pulsus nunquam rarus neque intermittens. Quae omnia gastromalaciam adesse signa exhibent certiora. Alii vero morbi, helminthiasis, succique gastrici perversi major copia symptomatibus, quae ab illis alia edantur, faciles a gastromalacia distincti sunt. Cadaveris sectione instituta membranae gelatinæ instar emollitae per totum imo interdum ventriculum animadvertuntur. Cel, Krukenberg contigit, ut totius tractus intestinalis malaciam conspi-

ceret. Sed succo etiam gastrico talem oriri posse malaciam, si aegrotus obierit, haud ex animo omitendum est, quod Hunterus jam observavit. In malacia ventriculi membranae saepe rumpuntur, quae vero illi infuerint, in abdominis cavum sunt demissa. Huiusmodi vero foramen in fundo praecipue animadvertisitur. Casus etiam digni sunt memoratu, si quis optima dum frui videtur valetudine, doloribus et vomitu subito affectus mox intereat. Quae ventriculus continuerit, sectionibus institutis, in abdominis cavum demissa sunt, peritonitis inde existit gangraenosa, semper lethalis. Tale foramen effectum esse videtur gastromalacia, quae partem circumscriptam tantummodo affecerit. Quid Stoll et Santesson, quod antea jam memoratum, describunt, inde exortum esse verisimile videtur.

4) Tempore, quo inflammatio duraverit, differentia exhibetur, quae aut chronica est aut acuta. Si membranam ventriculi corripiat serosam, vel musculosam, acute decurrit; unde mors mox oritur. Cum vero membranae mucosae inflammationes plerumque chronicæ existant, pluribus annis adesse possunt.

5) Ex typo inter morbi species distinguitur; gastritis modo est continua, quod in acuta praecipue evenit, modo remittens; chronica variis periodis aegrotos corripere solet.

6) Causa deinde remota discrimen constituit. Morbus noster vulgo sporadicus, raro endemicus, modo idiopathicus, modo sympathicus. Res dignissima est memoratu, quod una cum cerebri inflam-

mationibus, febribusque exanthematicis, gastritides interdum proveniant.

7) Simplici forma rarius occurrit. Si violenter processerit, semper cum febri est conjuncta. Venosis deinde febribus, gastricis, biliosis accedere solet lenta et chronica ventriculi et intestinorum inflammatio. Ulcera in cadaveribus saepe animad-vertuntur, quae tenue et crassum intestinum occupaverunt. Conjungitur denique cum inflammationibus faucium, omenti atque intestinorum.

8) Dynamica denique differentia morbi species discernit. Sthenicam vulgo patefacit indolem acuta; vero semper hoc modo existit, si homines praecipue corripiat sanos et sanguine abundantes. Pulsus quidem interdum adest oppressus idem atque celer; extremitates refrigerantur, animique deliquia accedunt. Si asthenia ita exstisit videtur, quae nervo sympathico effecta est suppresso, phlebotomia vero facta, subito evanescit. Chronica etiam inflammatio sthenicam initio patefacit indolem. Quamquam aegrotus viribus haud abundat, ad ventriculi regionem sanguinis ingeritur magna copia, quod ex animo haud omittendum est. Chronica vero haec inflammatio asthenico-erethicam postea sibi vindicat naturam. Quo fit, ut methodus antiphlogistica non sufficiat, et medicamenta in subsidium vocanda sint sedantia.

### §. 3.

## INFLAMMATIONIS EXITUS SEQUENTI MODO DIFFERUNT.

1) Gastritide dissoluta symptomata sensim sensimque decrescunt. Critica existit urina atque su-

dor, vomitus interdum est criticus et diarrhoea, quae hepate etiam affecto, imprimis accedere solet. Critica interdum proveniunt exanthemata: Lichen, erythema et erysipelas. Critica interdum etiam existit ex ano vel feminarum genitalibus haemorrhagia. Secundus morbi exitus tunc quidem exspectandus est, si aegrotus in caeteris sanitate firmatur, si inflammatio recenter orta statim agnoscitur, neque vehementior incedit. Dolores et vomitus sensim evanescunt, alvus ex norma magis exoneratur, pulsus liberior redditur, plenior atque mollis, turgor vitalis totum corpus et faciem praecipue rursus occupat, et in cute sudor provenit levis et facile evaporandus.

2) Si in suppurationem inflammatio exierit, crises lentius proveniunt; symptomata usque ad certum gradum provehuntur, deinde remittuntur. Neque vero omnino cessant. Pressio semper maxime molesta in ventriculi remanet regione, febris remittit sed hecticam graduatim sibi conciliat naturam, neque omnino unquam evanescit. Pulsus celerior, frequenter paullum remittit, nausea vero, vomitus et angor remanent. Frigore aegroti concutiuntur, sedimentaque purulenti magnam copiam urina continet. Nocte sudores saepius oriuntur, imbecillitatem efficientes. Pus aut in ventriculi existit superficie, aut abscessus natì sunt. Hoe quidem casu ventriculus peritoneo vulgo concrescit, fistulamque generat, quae in exteriore aperitur abdominis parte, unde, quae ventriculus contineat, effluunt. Per plures annos remita continuatam esse exempla in promptu sunt<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Van Swieten Comment. in Boerhav. aphor. T. 2. pag. 150. et Reil archiv. 4r Bd. S. 365.

Si in ventriculum abscessus erumpit, ubi materies majori aut minori sanguinis copia immixta, quum vomitu ejicitur, tum ano etiam demittitur; eventus secundus evadere potest. Abscessus etiam iterum ab integro inflammatur, unde recens existit vomica, quae eodem modo aperitur; quod quidem plures imo accidere potest, cum plures annos vitam aegrotus degere continuat. Si vero in abdomen abscessus aperitur, mortem sequi necesse est. Pus etiam in intestina viam sibi munire observatur in vicinitate sita, costas imo arrodere, haemorrhagias vasis arrosis efficere videmus. Febrem hecticam, maciem, hydropem morbosque varios oriri conspicis. Si vita diutius servatur, pus acrius redditur, unde dolores vehementissimi, angores, singultus, haemorrhagiae, convulsiones, animi deliquia, vomitus ichoris, ignis instar oesophagum urentis, inflammationes nascuntur recentes et malignae, ac denique gangraena; quae quidem mors omnia sequitur.

3) Multo saepius in indurationem inflammatio transit, quod in gastride chronica praecipue accidere solet. Si cadavera dissecantur terna vel quaterna crassitie ventriculi parietes intumuisse, et corii duritie apparent; interdum octuplum crassiores, quam in statu sano inveniuntur. Qui hoc morbo labore, miserrimam vitam degere supra exposuimus. Majoris periculi discrimin adest, si in ulcerationem degeneratio transierit; etiamsi homo decem vel viginti quinque annos degeneratione laboravit, duodecim vel viginti quatuor horarum spatio mors supervenit, simul atque exulceratio ad summum gradum est elata. Vas enim ventriculi majus inde arroditur, unde haemorrhagia existit haudquaquam sedanda et le-

thalis. Exulceratio in aliis casibus altius penetrat; ventriculi in loco affecto foraminibus membranas perfodit, unde, quae continet, in abdominis cavum infundantur. Ventris tormina tunc existunt vehementissima, omnes in partes diffusa, abdomen intumescit. Aegroti vero peritonitide gangraenosa sex vel decem horis praeterlapsis diem obeunt. Qui degeneratione laborant plurimi aegroti iu exulcerationem nondum transeunte, summo marasmi gradu moriuntur, cum fame revera conficiantur.

4) Exitus in gangraenam finem rei mox imponebit. Ventriculi inflammations ad gangraenam magis vulgo inclinatae sunt, quam ad suppurationem. Gangraenam vero exstisset in locis majoribus aut minoribus maculis nigris variam extensionem exhibentibus apparuit, unde foraminibus ventriculus perfoderetur. Dolores tunc subito remittuntur, extremitates refrigerantur, pulsus exiguis intermittens, animi deliquia superveniunt, adest facies Hippocratica et vita denique celerrime finitur. Si venenis inflammations excitantur, ita praecipue accidere solet. Gastromalacia hujus modi degeneratio videtur esse gangraenosa.

#### §. 4.

Ventriculi inflammationis diagnosis haud raro adhuc incerta est, ita ut gastritidem adesse tantum suspicari liceat. Quibus in inflammatione externa agnoscenda signis ducimur, si internam discernere velimus, deficiunt; ventriculi tantum functiones omnino disturbatas esse animadvertisimus. Quantus vero adest morborum numerus, qui per consensum ventriculum afficientes gastritidis speciem prae se ferunt?

Accedit, ut ventriculus varios situs sibi cenciliare possit; ut si inflammationis symptomata non bene in oculos incident, ex aliis corporis conditionibus causam repetendam esse conjicere possimus. Quodsi gastritis cum aliis morbis ita commutetur res non tam exigui est momenti quam in aliis inflammationibus interdum esse concedamus, quoniam gastritide praesente in ventriculum plura non sunt immittenda, quae in illis optime adhibeantur.

Quod ad dynamicam quoque attinet naturam, fieri potest, ut in errorem incidas. Hic vero semper symptomata viribus effecta suppressis generalia, qualia sunt: pulsus exiguus, facies pallida, frigidae extremitates, exorta gastritidis acutae vehementia, affectionibus nunquam congruere localibus, haud quaquam negligendum est; quae localia enim quo majorem stheniae gradum patefacent, fallacem astheniae speciem illa assumere videmus. Antiphlogistica autem methodo adhibita, species illa evanescit.

Summi momenti symptoma quodsi cum caetero corporis statu morboso contuleris, inflammationem nostram agrotos infestare, indicat certissimum: dolor est vehementissimus, cibis sumptis semper exoriens vomitumque statim excitans. Si partes ventriculo vicinae inflammatione affectae sunt, quae signa tunc etiam exhibet sibi propria nunquam ita fieri observatur.

Si in errorem primum incideris, medicaminum usus, quae in dubio quovis casu summa adhibeas cautione et prudentia, lucem mox afferet. Qui sequuntur morbi ventriculi inflammatione facile commutantur:

1) Si vermes infantes affligunt, gastritidis spe-

ciem exhibent similiorem. Vomitus, jactatio, angores, dolores colici, somnolentia, deliria, oculorum rigor, manus in abdomen porrocti e vermibus tantummodo saepissime profecta sunt. Multi tamen casus adsunt, in quibus vermes nequaquam exstiterunt, sed ventriculi inflammatio <sup>1)</sup>). Omnium quidem symptomatum connexum accuratissime tunc animo perpendas, abdomen inspicias atque tangas et tunc infantis sensationes quam diligentissime observes.

2) Cholera, cujus variae formae sunt adnotandae:

a) Cholera biliosa, sporadica, interdum epidemica, vomitu et diarrhoea, magnam materiae biliosae copiam evacuantibus, sapore amaro, lingua sordida, et muco viridi tenacique obducta, ciborum appetitu plane deleto, siti inexplebili, ceterisque status biliosi signis, facile a gastritide distinguitur; etiamsi interdum pressio regionis epigastricae morbum comitetur.

b) Cholera indica, spasmodica, morbus est epidemicus. Primum observamus vertiginem lenem, vomiturbationem, denique totius corporis dedolacionem ac diarrhoeam. Increscente morbo haec symptomata vehementiora fiunt, vomitus oritur, per anum evacuatur magna copia, quae albida et orizae infuso similis; modo ad haec symptomata accedunt permagna anxietas, dolores, qui praecipue in cordis scrobiculo sedem tenent. Fere totum corpus frigore obducitur, extremitates spasmis clonicis vexantur, atque pulsus vix sentiri potest. Oculi muco obtecti

---

<sup>1)</sup> Saillant auserlesene Abhandl. für praktische Aerate, 15r Bd., et Hufeland Annal. d. franz. Litt. 2r Bd. S. 41.

esse videntur, facies esse pallida et collapsa, cartilago nasi est fere nulla. Respiratio gravissima, pulsus est nullus, vomitus et diarrhoea desinunt, superficies corporis sudore obtecta frigido, digitus manus pedisque introrsus vertuntur et marcent, denique aegrotus fere plane exhaustus, plerumque sibi conscius mortem obit. Haud vero negandum est, hanc cholaram saepius cum gastrite esse conjunctam, ut multae sectiones sufficienter ostendunt.

3) Gastrospasmus, qui si inflammatione commutetur, summum aegroto affert detrimentum, oriri solet rebus, quae in nervos maxime vim exercent, et si debilitata est constitutio, causis denique erethismum foventibus. Tunc vero lingua rubore non obtecta, papillae ejus nudae observantur, alvus vulgo non obstruitur, neque abdomine presso dolores concipiuntur, paullum minuuntur; urina est spasmatica. Quod si malum longius tempus adfuerit, in gastrospasmo haudquaquam patescunt symptomata, quae in gastrite chronica prodire exposuimus. Rarius etiam accidere solet, ut gastrospasmus nobis obveniat.

4) Musculorum abdominalium inflammatio omnia inflammationi propria ostendit symptomata; dolores musculis tactis adsunt; rubor, tumor, calor animadvertuntur, ceterum obstructio alvi vomitusque deficiunt.

5) Fascia in ventriculi regione superficialis violenti interdum corripitur rheumatismo. Vomitus alisque obstructio hic etiam desiderantur, dolores vero, si partes illae digitis tanguntur, vel loco paullum moventur, aegrotum maxime distrahunt.

6) Hepatis inflammatione ventriculus etiam interdum afficitur, dolores vero ventriculi regionem ab initio excruciantes haud sentiuntur, vomitus neque dolorificus neque vehemens, pulsus magis exiguus ac celerior; hepatitidis vero symptomata non animadvertuntur, qualia dextri hypochondrii et humeri sunt dolores, symptomata icterica faciei, oculorum, faecum, cutis urinae, quod cum hepatis cava superficies inflammatione est correpta, praecipue observatur.

7) Lienis inflammatio chronica cum chronica gastritide facilis est commutatu. Quod organum, parenchymate crassius inflammatione reddito, maxime intumescit, unde ventriculus admodum premitur, distorquetur atque ejus functiones ita laesae sunt, ut symptomata patefiant, quae etiam gastritidi sunt propria: ut dolores ventriculi regione et sinistro praecipue latere concepti, ejusdem tumor, pulsatio perpetua, angores, vomitus et alvi obstruc-  
tio. Neque tamen ulla ratio inter haec symptoma invenitur atque lienis inflammationem indicantia, qualia sunt: Color chloroticus et atrabilialis, vomitus cruentus, haemorrhagia ex ano, sapor in ore amarus et acidus, sitisque defectus. Si morbus etiam aliis e. g. febris antecesserit intermittens, unde placenta febrilis in liene nascitur, hoc organon affectum esse saepius indicat.

8) Quo ventriculi inflammationem cordisque vitia organica discrimine distinguas, interdum haud facile in oculos incidere solet. Corde hypertrophicum, diaphragma premente, hoc vero ventriculum affiente, nausea, ventriculi dolores, vomi-

tusque exoriri possunt. Si igitur chronica inflammatio exorta est, de cordis vitio organico atque de hypertrophia praecipue cum dilatatione conjuncta, primum cogitandum est. Si vero perpaucata tantum symptomata quae cordis vitiis omnino sunt propria, animo perpendas, discriben proferri potest, quod optime quadrare conspicias.

Si enim cordis malum admodum profectum est, symptomata patefiunt, quae sequuntur generalia: spiritus breviter neque molestia ducitur exigua, pectus oppressione afficitur, somniis aegrotus laborat gravioribus et anxietate, pallore cachectico aut livore facies obducitur, tristitia animus oppressus est, si corpus in plano cubuerit, gravius fertur, facies atque labia interdum intumuerunt, pedum nascuntur oedemata, quae circa malleolos incipiunt, et in abdomen adscendunt; animi sequuntur deliquia, pulsus justa bonaque caret norma et regula. Ut diagnosis accurate exhibeat, symptomatum etiam localium, percussionis ope, auscultationisque Laennecianae auxilio indagatorum, quae summi sunt momenti, ratio est habenda.

9) Pulmonibus et hepate maxime laborantibus, saepius accidit, ut nimis ventriculus sanguine abundet, unde symptomata eduntur, ventriculi inflammationem indicantibus similia. Haud vero omitendum est, interdum veram gastritidem adesse, quae e. g. in phthisi pulmonum tuberculosa nullis signis praeter vomitum notetur<sup>1</sup>).

Ventriculi inflammatio quamvis per vitam saepe

---

<sup>1</sup>) Cfr. Andral. clinique medicale. 2de edit. Par. 29. T. II.

difficilis sit agnotu, cadavere dissesto in oculos certe incidere crederes, saepius tamen accidit, ut fallerentur. Magnum ruborem pro inflammatorio facile habebis; qui inde vero saepius profectus est, quod mortis momento vasa majora sanguinem in vasorum systema infuderint capillarium, quod album alias p<sup>rae</sup> se fert colorem. Sanguinis exigua tantummodo interdum animadvertuntur extravasata. Eiusmodi rubor in hominibus saepius observatur, qui apoplexia, convulsionibus, amputatione instituta atque strangulatione perierunt. In serosis etiam membranis idem rubor haud raro conspicitur, quem ex oculta inflammatione originem deduxisse saepius quosdam opinatos esse suspicamur. Cadavere secto rubor igitur solus, adfuisse inflammationem haud quaquam indicat, sed tumoris etiam lymphae plasticae exsudati, gangraenae et symptomatum, quae per vitam apparuerunt, ratio est habenda.

## C A P U T II.

### AETIOLOGIA.

Gastritis sub iisdem fere rerum positionibus plerumque oriri solet, quae etiam aliarum partium inflammationi favent, et diathesin illam phlogistica<sup>m</sup> in corpore provocant; sed homines praecipue magna praediti sensibilitate, qui gastritide corripiantur, inclinati sunt, quam et in feminis et infantibus saepissime observamus. Ventriculus vasorum omnis generis ditissimus et insigni nervorum apparatus instructus arctum alit cum omnibus fere corporis partibus functionis commercium, quae legitim-

mae actionis conditio uberrimum tamen malorum fontem sistit. Sed majora adhuc pericula imminent ventriculo per ingesta. Cum tantam causarum copiam, quae ventriculi inflammationem efficere possint, existere conspiciamus, saepius accidere conjiciendum sit. Res tamen digna est miratu, quod stomachus tanta ferre potet, quae in cute ipsa bullas efficiunt; quod ciborum etiam copia et potuum quam maxime varia in organon illud nihil valet corrumpendum. Saepius etiam adest, quo stupeamus, cum ventriculi spasmi vehementissimi, qui animi deliquia, convulsiones et deliria secum trahunt, inflammationem nihilominus excitare nequeant. Sunt vero, quae magis idonea, quam alia existant, quibus inflammatio efficiatur, quo laesiones externae epigastrii, vulnera et ictus pertinent. Morbi vicinarum partium: herniae incarceratae, aphthae faecium et oesophagi in ventriculum descendentes, et inflammationes vicinarum partium, gastritidem saepius provocant. Inter ingesta imprimis cibi fermentantes et duriores, cibi et potus fervidiores, potus frigidus, glacies, spirituosa maximum detrimentum important. Medicamina acria, acria emetica et drastica, nimiae doses salis Ammoniaci, et Kali nitrici, venena denique acria, Arsenicum, Mercurius sublimatus corrosivus. Res acutae, hirudines deglutitae, vermes et bilis acris in ventriculum susceptae, magna succi gastrici perversi copia, non minus nominari merentur. Haud raro gastritis ex aliarum partium laesione proficitur, regione epigastrica refrigerata, aut balneis frigidis incaute adhibitis, ex cerebri laesionibus,

ex ira, per metastases rheumaticas, arthriticas, erysipelatosas, eruptionibus deinde suppressis, scabie, herpete; contagiosis, variolarum, morbillorum, roseolae; haemorrhagiis suppressis, ulceribus et fonticulis praepostere sanatis, suppressisque pedum sudoribus.

## C A P U T III.

### PROGNOSIS.

Quoniam ventriculus summi organon est momenti, cui cum caetero corpore intimus nervorum sit connexus, quoniam saepius etiam haudquaquam agnoscitur, ne gastritidis prognosin optimam exhibeas, semper cavendum erit.

Forma acuta facilis distinctu, qua de causa, quamvis magnum semper vitae discrimen secum ducat, et quarundam horarum spatio morte exire possit, si adesse intelligitur, fieri potest ut tollatur. Periculum vero de loco, extensione atque violentia pendet; causae invitantes corporisque sensibilitas in majus minusve periculum aegrotos adducere possunt. Si ostium ventriculi superius aut inferius inflammatio infestaverit violentior procedit; si asthenicis febribus succedat, ancipi decursu exire solet, quae in gangraenam facile transeat. Chronicæ inflammationes facile non agnoscantur, et quae revertantur inclinatae sunt, unde ventriculi membranarum desorganisationi occasionem præbere possunt. Violentissimæ inflammationes venenis efficiuntur, drasticis eccoproticis, ventriculi refrigeratione subito, et violenter factæ. In corpora

robusta, vivida, plethorica multo magis agere valent, quam in phlegmatica. Si homines seniles, imbecilles, cachectici affecti sunt ne diem obeant, maxime timendum est. Si chronica inflammatione degeneratio jam exstiterit aegrotum peritum esse nihil dubitandum est, quod modo marasmi summo gradu, haemorrhagia, modo peritonide acuta vel gangraenosa efficitur.

## C A P U T IV.

### CURA,

#### §. 1.

Si inflammationem exstisset appareat, ut causae quae illam invitaverint nocivae, vel deinde augeant, et incrementum attulerint, removeantur, primum providendum est. Si ventriculus cibo nimis abundans, quin functiones bene perficiat, impeditur, regionem epigastricam frices, fomentationes pares aromaticas, irritatione mechanica vomitum excites, clysteres denique adhibeas antiparalyticis paratos.

Quod si res calidiores aegrotus in stomachum suscepit, aquae frigidae magnam bibat copiam, medicamentisque utatur oleosis et mucilaginosis. Potu frigidore in stomachum suscepto, aetherem una cum tinctura opii medicus adhibeat, frictionibus utatur aethereis, atque balneis et diaphoreticis, ut cutis functiones quam maxime incitentur.

Si irritamenta in ventriculum demissa sunt, mechanica vel chemica, vomitus exoriri solet, quem

si imbecilliores animadvertes, Zinci sulph. gr. X — XII. praebe faucesque excita, aqua etiam tepida, potusque mucilaginosi haudquaquam sunt spernendi. Si spasmi existunt vehementissimi, cataplasma ventriculo impone tepida et antispasmodica, fl. Chamom. hb. Menth. crisp. vel. piperit. preparata. Si vero vomitus admodum vehemens conspicitur, pulverem aerophorum vel opium vel aetherem adhibeas.

Si aegrotus acidis ederit substantias, solani pultem tuberosi vel oryzae sumat, quibus illa involvantur, fluida deinde bibat, ut solvantur. Quodsi venena chemica in corpus deglutita sunt, ut confessim ejiciantur, praecipue agendum est; vomitus excitandus, ne vero ventriculus nimium in modum excitetur, providendum est.

Si humores acidi, bilis, succus gastricus ventriculo detrimentum afferunt, multo potu tenuiora efficias, vel evacuationem angeas, vel pyrosin resorbentibus mitiges remediis. Vomitum nimis vehementem inhibeas acido carbonico, si placet sequenti formula:

R.

Sal. essent. tart.

Natr. carbon.

Sacch. albiss.  $\frac{aa}{3}$  I - II.

M. f. p. S. spatio hor. II. cochl.  
minus totum aut dimidium.

Quando cerebri morbi ventriculi inflammationem effecerunt, illis quidem obveniendum est. In gastritide rheumatica praeter sanguinis emissionem evacuatio per anum est augenda, Camphora adhi-

benda, vesicatorium imponas regioni epigastricae. Cum sthenicae arthritidis metastasi morbus invitatus est, antiphlogisticis utaris; si vero de arthrite asthenica origo repetenda est, Anglus quidam aetherem sulph. remedium esse praedicat, haud spernendum, cuius quidem cochlear minus aqua aut aqua Menth. piperit. immixti, una cum Camphora sumendum esse testatur, deinde Inf. meliss. aut menth. cum liq. anodyn. simul dari commendat.

Suppressam podagram pedum balneis sinapi immixto frictionibus que restituas; si sthenica podagra gastritis nata est, venaesectionem primo perficias, in caetera deinde remedia pedetentim transreas. Haemorrhoides et Catameniae suppressae et cutis exanthemata regressa, rursus excitanda sunt.

Cum inflammatio ab originis initio subito suffocetur, summum adducit periculi discriminem, et sine ullo detimento rarius ita amota est, quod ut fiat causas, quam celerrime amovendas esse, balnea deinde, camphoram, opium, vesicatorium ad regionem epigastricam, Aluminis unaquaque hora gr. IV porrigendum proposuerunt.

## §. 2.

### UT EX NATURA DYNAMICA MORBUS CURETUR, ALTERA REQUIRIT INDICATIO.

1) In sthenica gastrite acuta, methodus antiphlogistica atque adeo interdum plures venaesectio-nes saepius institutae, sunt adhibendae. Quodsi signa animadvertuntur generalia, quae quasi asthenicae symptomata patefaciunt, neque tamen revera

indican, atque topicae gastritidis molestiae vehementiores procedunt:

Sanguinis major copia ad id temporis momentum usque emittenda est, quo signa illa evanescere conspicitur. In hominibus adultis XVI - XX unciae sanguinis e brachii vena emittantur. Si inflammationem quidem decrescere, sed fortiores existere observatur exacerbationes, ne ad summum fastigium evenhantur, providendum est; qua de causa phlebotomiam sine ulla mora rursus instituas, nec antequam inflammatio decreverit, sanguinis fluxum cohibeas. Van Swieten<sup>1)</sup> casum memorat, ubi XII phlebotomiis adhibitis aegrotus demum in valetudinem sit restitutus. Tres vero aut quartuor vulgo sufficiunt. Ut dynamicae autem indolis et naturae notionem tibi conciliaveris certam et perspicuam primo videndum est. Hirudines in infantibus, qui eundem effectum exhibeant, sufficiunt; quodsi infans unum annum est, II - III - IV hirudines regioni epigastricae imponas. Neque in adultis animalia sunt spernenda, si sanguine e vena emissa dolores et molestiae locales haud remittuntur; X - XXV hirudinibus tunc utaris. Sunt medicorum quidam, qui cucurbitulas, quae antispasmodice agere valeant, hirudinibus praferunt; si vero in auxilio afferendo haudquaquam morandum est; sive haemorrhoides aut catameniae sunt suppressae, hirudines sunt potiores.

In gastrite sthenica et acuta phlebotomia et hirudines primas partes obtinent. Antiphlogistica

<sup>1)</sup> I. c. Bd. II.

in corpus suscepta aegrotus raro ferre potest. Kali nitricum, sal Ammoniac., Oxymel etc. morbum efficiunt pejorem, vomitumque semper excitant vehementissimum. Medici quidam Kali nitricum aqua ne irritet solutum, porrigendum esse arbitrantur, cum vero semper excitet et rursus ejiciatur, nihil magni certe efficere potest. Ne tamen vomitum violentiorem aethere et tinct. Cinnam. sedare coneris, maximopere tibi cavendum est; inflammatione enim inde aucta gangraena facile invitari potest. Incitamentis omnibus a stomacho remotis remedia emollientia et quavis excitatione adhibeas parentia, unde violentiores ventriculi actiones mitigentur, quae quidem parva praebetas dosi atque frigida. Lacte e. g. utaris, emulsione amygd. dulc., semili, solutione gumm. arab., decoctis emollientibus et sedantibus, una cum extr. opii aquos., vel oleo amygd. dulc., succ. citr. cum syr. diacod., emulsionibus oleosis, quibus postea camphora conjungenda est. Quae vero omnia, si vomitum augeant, non amplius porrigas; aegrotus tunc balneis et clysteribus nutriatur.

Saillant remedia quaedam in imfantum gastritidem praecipue valere animadvertis: praesertim aq. Portul., cuius majus cochlear unaquaque hora dandum est; et succ. sonchi, quem Baglivi jam commendaverat. Aquae etiam frigidae copia magna est bibenda, quae ventriculum sedet atque sudores efficiat criticos. Aqua Lactuc. sat. destill. cum frigeret, tum etiam mitiget.

Remedia in externo corpore adhibenda, quae sequuntur, commendanda sunt: fomentationes et

cataplasmata calida et emollientia: cicut., hyosc. cum lacte praeparata; frictiones oleo Chamom. et Hyosc., instituendae, linim. volatile deinde cum opio. Quibus omnibus tunc utaris, si sufficientem emiseris sanguinis copiam. Si IV aut VI hora præterlapsa est, neque dolores et molestiae remittuntur, cum vasa nihilominus sanguifera affatim sunt evacuata, magnum secundo successu adhibebis cantharidum emplastrum; cum aegroto celerrime subveniendum est, regioni epigastricae sinapismum applices. Ne vero vehementiores afferas dolores, bene providendum est; quia regio epigastrica maxime sensibilis curam ferre localem omnino nequeat. Clysteres nunquam negligendi, qui cum faeces ex intestino crasso amoveant, multo aegrotum sublevent, in abdomine deinde sanguinis circulationem augent et denique aegrotum nutriunt. Lenibus tamen solummodo utendum est, cremore avenaceo, e. g. et mucilagine hordei, decocto althaeae una cum multo oleo lini praeparatis; si vero excitent, multum detrimenti afferunt. Si aqua tepida pedes laventur, sive in balneum totum corpus immittatur, curam ita institutam optime successisse, observatum est. Cum vero doloribus aegrotus inde distrahatur, rarius remedia externa sunt adhibenda.

Sthenia hoc modo remota et magna sensibilitate ventriculi relictum opium, extr. hyosc. acid. boruss. porrigas, quo vomitus inhibetur; quodsi ejiciatur, usque ad id tempus dare continues, quo corpore remanebit. Regionem epigastricam fomentes tinct. opii croc. aut opio saliva immixto ex

Brerae methodo. Ante somnum aegrotus etiam sumere potest tinct. opii simpl. gr. XV., post pulveres aerophoros susceptos, mane porrigas inf. fl. samb.; per diem clysteres laxantes adhibeas. Si aegrotus hanc tincturam vomitu ejiciat, sumat opii gr. I. et calom. gr. I. pilularum forma.

## 2) GASTRITIS ASTHENICA CUM ERETHISMO.

1. Saepius accidit, ut astheniam gastritides chronicæ indolem patefaciant, atque simul magna ad ventriculum congestio existat. In hominibus robustis sanguinis X - XII unciae tunc emittendae sunt; hirudines regioni epigastricae applicandae, saepius indicantur; salia eodem tempore aegroto porrigas, anglicum, vel Glauberi et aquas praeebeas minerales, ut e. g. aquam Seydschützianam, Pülnaicam, unde alvi dejectiones semel aut bis per diem existant. Lenia deinde des antiphlogistica, Calomel, sal ammoniacum. Si inflammatio chronica haud violenter procedit, extracta adhibenda sunt mucilaginosa et amara, taraxaci vel graminis ect. Bonum tamen regimen, quod summi sit momenti, haudquam negligendum. Per hebdomades, menses, annos imo aegroti fluida tantum suscipiant, cibosque blandos et facile digerendos: lac et quod fluidum inde diverso modo praeparatum, ut lac ebutyratum, serum lactis dulce, jus gallinaceum et columbare. Circa curae finem graviori victu fruantur, sed quam maxime sibi temperent. Praecipue caueant, ne cibos et potus sumant, difficiles digestu et incitantes. Fibalia gerant lana texta, tunicaque

vestiantur lanea; quoniam si cutis secretioni impedimentum quoddam obstat, sumnum inde offertur detrimentum. Cura haec lenis antiphlogistica symptomata quidem mitigat, malum ipsum vero non omnino removetur, quum magnam ventriculus sibi servet sensibilitatem. Pulveres porrigas sequentes:

## R.

Magister. Bismuth. gr. II.

Ammon. carb. gr. I.

Opii pur. gr.  $\frac{1}{4}$ .

Sacch. albiss. gr. XII.

M. f. p. dispens. tal. dos. No. XII.

S. ter aut quater per diem pulv. sumatur I.

Sunt medici, qui hepar sulphuris hic commendant et extr. Cicut. Bellad. Lactuc. viros., aq. lauroc., asa foet. etc. Remedia externum quibus irritabilitas minuatur, sequentia adhibeas: balnea tepida, simplicia vel aromatica, frictiones linim. vol., camph. et opii vel ung. mercur. instituendae. Aegrotus eodem tempore multum ambulet vel equitet.

2) Aliis in casibus asthenia e sthenia pullulat. Ut sensibilitas ventriculi removeatur Bismuthum est sumendum, vesicatoria, sinapismi externo corpori imponendi.

3) Gastritis magis asthenica jam initio procedit, cum magna totum corpus afficiatur asthenia. Febris bene agnoscatur et curetur. Hae quidem gastritides saepius vehementiores existunt. Venae-sectionem tunc adhibeas modicam, hirudines applies, sal ammoniacum, dosin tart. tart. exiguum, calomel porrigas, ne aegrotus alvum nimis purget, sed

ter aut quater materiem pulti similem emittat. Paullo post asthenia per totum tractum intestinalem extenditur, ventriculus tunc est admodum affectus, sitis est vehemens; febres indolem gastricam et biliosam fere semper patefaciunt. Praebeantur nunc aq. oxymuriat. ʒ II. cum aq. destill. ʒ IV. hor. II. cochl. majus; interdum etiam inf. ipecac. ʒ VI. praeparati ex ʒß. hor. II. cochl. majus haud parum conducit. Abdomen emplastro obtegatur de Galb. croc. aut empl. hyosc. Circa diem X. aut XIV. asthenia vulgo maxime increscit; faciem aegrotus exhibet stupidam, delirium, sopor etc. existunt. Incitamenta tunc adhibenda sunt interna; inf. Valer. Angel. Arnic. adde liq. corn. cerv. succ. Fomentationes frigidae capiti, sinapismi suris applicentur. Si diarrhoea nimis angetur, praebeas Columb. Cascar. rad. Arnic. cum parva dosi opii. Quae medicamenta adhibere perges usque ad id temporis momentum, quo aegrotum convalescere apparuit. Quod si tardius fit, medicamenta porrigantur amara. Per morbi decursum aegrotos erethicos fieri saepissime observatur. Crisis cute non effici potest, qua de causa balnea tepida et aromatica in auxilium sunt vocanda. Idem balneum, si aegrotus valde torpidus est, adhibetur, cui quidem tres aut quatuor aquae frigidae situlas supra caput infundi jubeas. Si febris cum hysteria conjungitur, Valer. Mosch. Castor. praeterea porrigatur. Si rheumatismum simul adesse animadvertis camph. utaris et vesicatorio. Asthenica haec inflammatio in summi interdum vitam adducit periculi discrimen; aegroti vomitu omnia ejiciunt, vehementia doloris increscit, gangraena imminet.

Cel. Krukenberg hanc curam tunc instituendam esse proponit: regionem epigastricam frigidissimis tegas fomentis, aquam, quae bibatur, des frigidam, clysteres denique frigidos adhibeas, ut erethismum mitiges et criticum efficias sudorem.

III. Si gastritis naturam exhibet paralyticam, sine mora transit in gangraenam. Fortiorum hinc incitamentorum periculum facias.

### §. 3.

## TERTIA GASTRITIDIS CURATIONIS INDICATIO A MORBI PENDET DIVERSIS EXITIBUS.

Resolutionem adjuves opio una cum camphora, sinapismis regioni epigastricae impositis, inf. valer. pedum lavationibus, regimine diaphoretica. Cum aegrotus convaluerit inclinatus est, cui alvus obstruatur, lenibus igitur clysteribus obveniendum. Sensibilitate relictâ, unde vomitus, cardialgia existat, aegrotus in locis ambulet aeri salubri expositis, lene ac frigidum regimen agat, aquam bibat frigidam Selteri, vino et aqua frigida abdomen lavet. Fl. Zinci sumat cum mag. Bismuth. et opio, bibat inf. Millef. denique Chin. inf. frigidum.

Si suppuratio extiterit, nihil agere nequeas, nisi detimento obvenias futuro. Rebus emollientibus in externo corpore adhibitis, et in stomachum assumtis nutrimentis blandissimis, quae vel minimam requirant ventriculi actionem, et parva copia rarius porrectae, ne excitamenta de integro agant, providetur; et ut abscessus in stomachum erumpat, efficitur. Quodsi factum est eodem modo cura conti-

nuetur. Aegroto lac porrigatur, jus carne praeparatum, ova obiter cocta, aqua Selteri melle intermixta ac denique inf. Chin. aquos. Si vomitu omnia rursus ejiciuntur, clysteribus nutriatur. Abscessus interdum externo corpore erumpit, ubi longiore tempore aogrotus vitam degere potest. Res summi est momenti, ut optimum semper servetur regimen, modice corpus moveatur, et ut purae adhibeantur fasciae.

Si ventriculus induraverit arte nihil agere possumus, nisi detimento obveniamus, summum vero damnum afferre queamus. In omnibus ventriculi desorganisationibus: gastromalacia, membranae mucosae aliarumque perforatione, carcinomate etc., ad id spectandum est, ut diaeta blanda molestiae ab aegroto perceptae amoveantur, et ut vita, quantum fieri potest, integra servetur. Si obstructio adest, salia dentur laxantia simul cum extr. tarax., gram., chelidon., sapon. Serum lactis diaetetice adhibitum hic praecipue commendandum est, cicut. interdum, bellad., aq. lauroc. et opium molestias minuunt. In carcinomate jus adhibeatur Daucis carotis praeparatum, res mucilaginosae, aquae Selteri et Fachингensis lacti immixtae, clysmata nutrientia et vires aegroti augentia, unde etiamsi auxilium rarius afferratur, ichoris acrimonia tamen imminuta, nihilominus aegroto quodammodo conducas. Hisce fere omnibus in casibus, ut dolores vehementissimi paululum remittantur extr. opii aquos. denique in subsidium vocandum est.

## V I T A.

---

Ego Ludovicus Herbers anno MDCCCVII. die Maji XXVIII., Iserlohniae, Guestphaliae oppido natus sum, parentibus Francisco Hermanno Herbers atque Amalia Herbers, ex stirpe Winckelhaus, quos adhuc superstites pia mente veneror. Addictus sum confessioni Lutheranae. Primis litterarum elementis in schola Iserlohnensi imbutus, gymnasium Hammonense petii, ibique per annos IV. et dimidium commoratus examineque pro maturitate rite absoluto, anno hujus saeculi XXVII. ad academiam Rhenanam Bonnensem me contuli, et a Rectore Magnifico Cel. Nitzsch in numerum civium academicorum receptus, ordinis medicorum Decano Cel. Harlefs nomen professus sum. Per tres annos hisce interfui praelectionibus:

De Logice Ill. van Calker.

- Psychologia Ill. Brandis.
- Chemia Ill. Bischoff.
- Physica Ill. de Münchow.
- Mineralogia Ill. Noeggerath.
- Zoologia Ill. Goldfuß.
- Botanice Ill. Nees ab Esenbeck.

Anatomiam tam generalem quam specialem et Physiologiam mihi tradiderunt Cel. Mayer; anatomiam generalem et osteologiam Cel. Weber. Nec minus Cel. Mayer et Weber duces mihi erant in dissecandis cadaveribus. Pathologiam generalem et semiotiken me docuit Cel. Müller; materiam medicam, pathologiam et therapiam specialem Cel. Harleß; artem formulas medicas conscribendi Cel. E. Bischoff. Anthropologiam, therapiam generalem et specialem, toxicologiam et morbos psychicos Cel. Nasse; morbos mulierum Cel. Naumann; chirurgiam, operationes chirurgicas et instrumenta ad illas idonea Cel. a Walther; artem obstetriciam atque instrumenta obstetricia Cel. Kilian. Praeterea clinicum medicum pathologicum duce Nasse, et clinicum chirurgicum et ophthalmicum duce Kilian per annum dimidium frequentavi.

Anno denique MDCCCXXX. ad academiam Hallensem me contuli; et a Cel. Gruber t. t. Rectore civium academicorum numero adscriptus hasce frequentavi paelectiones: Cel. Krukenberg de pathologia et therapia morborum systematis gastrici, uropoetici, organorum sexus, medullae spinalis, cerebri, organorum sensus, et externi et interni. Per annum dimidium in clinico medico Cel. Krukenberg, in clinico chirurgico Cel. Wutzer duces mihi fuerunt.

Deinde tempore paschali ad hanc almam musarum sedem me contuli, ubi a Rectore Magnifico Cel. Boeckh civis academicus receptus et a Decano Cel. Hufeland in album medicum relatus sum. Hic hasce scholas frequentavi: clinicum chirurgicum

apud Cel. Rust, medicum apud Cel. Wolff. Quibus omnibus praeceptoribus optimis et de me eximie meritis, gratissimum, quem iis semper habebo, animum testificor.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico idemque examine rigoroso coram gratiose medico-rum ordine absolutis, spero, fore ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## **THESES DEFENDENDAE.**

### **I.**

*Corporis nostri systemata quo sublimiori gaudent  
vitae gradu, eo rarius inflammatione corripiuntur.*

### **II.**

*In generationis processu sperma virile materia sua  
agere, difficile probatur.*

### **III.**

*In curandis plurimis morbis diaeta medicaminibus  
efficacior est.*

### **IV.**

*Helminthiasis non est morbus, sed morbi symptoma.*

### **V.**

*Gastropasmus est morbus rarissimus.*

### **VI.**

*Tracheotomia in angina membranacea operatio valde  
ambigua, rejicienda.*

